



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

2. Igniculi primi naturæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

iracundæ, avaræ, libidinosa, nutriculæ sit mixtum; virus hoc totum imbibet alumnus. *Lamia*, ut Threnorum 4. legimus, *nudaverunt mammam suam, lactaverunt catulos suos.* Quid enim aliud sunt istæ lamia, speciem partim muliebrem, partim ferinam referentes, quàm impotentes mulierculæ, tigridem potiùs, ursam, lupam, & similes bestias, quàm hominem moribus præferentes. Ab his mammis qualem rorem? Et ex isto quales exspectes catulos? Tartari ac Scythæ infantibus suis lac præbere caninum aut equinum dicuntur, ut deinde feroces & pugnaces evadant. Lamia ab antiquis mulieres esse putabantur, sive veriùs dæmonum quædam phantasmata, quæ formosarum mulierum specie assumpta, pueros pariter ac juvenes blanditijs allectos devorabant. Alij aliter de ijs scribunt, nobis ad propositum sufficit, per Lamias intelligi improbas & sceleratas nutrices, quæ cum viroso lacte malam pestem in teneros fetus transfundunt. Sic Heliogabalus Imp. Græcæ meretricis alumnus ab ea suam spurcitiem & obscænitatem hausit. Rhodiginus. Sic Tiberius Nero, magnus potator, ideo *Biberius Mero* vocatus, quia nutricem habuit vinolentam. Sic Agrippina Neronis mater, quòd in omnes libidines esset effusa, filium orbi dedit libidinis & crudelitatis monstrum. Cornel. Tacit. Quin & Salomon trecentarum uxorum maritus, & septuaginta pellicum concubinus, matrem habuit Betsabee adulteram. Diogenes videns adolescentulum ex temulentia desipere, dixit. Ebrius te seminavit pater. Pari ratione dixeris tali: ebria te lactavit nutrix. Propterea mater Samsonis jubetur ab Angelo, vinum & siceram non bibere. Et S. Augustinus in lib. Confessionum fatetur, se cum lacte matris, Dei cultum & venerationem hausisse. Antoninus Caracalla Imp. quanquam sævissimus, magnum tamen Christianis negotium non fecerit. Causam assignat Baronius ad annum 217. quòd lac nutricis Christianæ suxerit.

II. (b) Deinde in Triptolemo observandum, infantem ipsum igne perfusum à Cerere fuisse. Parùm enim valet lacteus matris humor, seu bonus corpori tenello succus à natura infusus, nisi ignea vis ingenij, tanquam eos, accedat. Inter prodigia & læta omnia ignis habetur capiti circumfusum, quod Ascanio Æneæ filio obrigit. 4. Æneid.

Ecce levis summo de vertice visus Juli

Fundere lumen apex, tactùque innoxia molli

Lambere flamma comas, & circum tempora pasci.

Regnum videlicet igneus ille splendor adolescenti portendebat. De Honorio Claudianus id confirmat. X Appa-

(b) Multùm interest, quales igniculi primi natura.



Apparet, quid signa ferant. Ventura potestas  
 Claruit Alcanio, subita cùm luce comarum  
 Innocuus flagraret apex, Phrygióque volutus  
 Vertice, fatalis redimiret tempora candor.

De hac animi flammula Petrarcha Dial. 41. Sic inquit, habet omnes qui sunt, & qui erunt, aut fuerunt virtutibus clari, non posse unum ingenium accendere, nisi aliqua intus in animo scintilla sint, quæ Præceptoris spiritu excitata & adjuncta generosum disciplinæ fomitem arripiant; alioquin algidum in cinerem nequicquam flabis. Natura parvos nobis igniculos dedit, ait Tullius, qui corruptelâ malæ consuetudinis extinguuntur. Graviter M. Antonius Muretus lib. 2. Ethic. Ad virtutem nos natura gignit, doctrina excitat, consuetudo perducit. Non enim est dubium, quin semina & igniculi quidam nobis insint à natura, usque eò, ut naturali quadam inclinatione alium ad alias virtutes propensorem esse videamus. Atque hac de re loquitur Aristoteles lib. 6. Ethic. & illa *principia*, virtutes naturales, aut virtutes inchoatas vocat. Sed semina illa facillè eliduntur, nisi excolantur; igniculi illi facillè extinguuntur, nisi foveantur. Conqueritur Tullius. 3. Tuscul. Sunt ingenijs nostris, inquit, semina innata virtutum, quæ si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret. Nunc autem simul atque editi in lucem, susceptique sumus, in omni continuo pravitate, & in summa opinionum perversitate versamur. Adsonat Plato lib. 2. de legib. Assuecat ergo pueritia dolore ac voluptate rectè moveri, ut à principio usque ad extremum vitæ rectè oderit, quæ odisse oportet, & amet, quæ amanda sunt. Ergo prima ætas riguo lactis imbre ad scientiam, & igneo mentis vigore ad probitatem est educenda. Id quod religiosus Scriptor hanc adducens fabulam monuit: Immortalitas, ait, nobis curanda est, seu lacte sit opus, seu igne: sive animus eruditione nutriendus sive exercendus pietate. Drexel in Trismeg. lib. 3. c. 1. Rursus per has animarum scintillas intelligas, nihil quantumvis parvum in educatione contemnendum. Quid scintillâ tenerius? uno flatu dispelles, quid validius flammâ è scintilla nata? arserunt hac integræ urbes & ingentia nemora, nam

Neglecta solent incendia sumere vires.

Id de pueritia cogita, cujus primæ scintillæ in magnas vitiorum flammæ erumpent, nisi principijs obstetur.

III. (c) Triptolemus artem colendæ terræ à Cerere edoctus est, salubri documento, quanti facienda agricolatio, quæ divinam habet o-

(c) *Laus agricultura.*

riginam;